

$\pi$  n  
8376





K.  
48,  
26.





K. 48. 26.

II n  
8376

*Laudatio funebris,*

IN OBITUM ILLUSTRIS-  
SIMI Dn. Dn. CHRISTOPHORI PO-  
PELII BARONIS A LOBKOWIZ, SUPREMI  
Curiae Regni Bohemiae Praefecti, &c. Domini in Patek & Di-  
wiz, olim S. C. Majestatis Rudolphi secundi Cubicularij, Con-  
siliarij intimi, Assessoris juditij Regni Praesidis Appellatio-  
nis, Camerarij Supremi, &c. tandem  
Supremi

Inscripta

ILLVSTRI DOMINO, DOMINO IOANNI  
CHRISTOPHORO POPELIO, BARONI A LOBKO-  
WIZ, Domino in Patek & Diwiz, Serenissimi Archiducis Al-  
berti Cubiculario, unico pie defuncti Illustrissimi  
Filio supradicti &c.

*Authore*

REVERENDISSIMO D. GEORGIO BARTHOLDO  
Pontano à Braitenberg, S. Metropo. Ecclesiae Praeposito, Olo-  
mucensis. & Budissinensis Canonico, protonotario  
Apostolico, Com. Pal. S. C. Majestatis & Sereniss.  
Maximil. Consiliario.


UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SALE)

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

PRAGÆ,

Ex Officina Typographica Nicolai Strauss  
Anno M. DC. IX.









## Laudatio funebris.

**V**EM ADMODUM POPULORUM ATQVE gentium diversarum, alia atq; alia erat consuetudo, Aud: ut se, vitam, moresq; efformarent, posterisq; testatam facerent, ita Ægyptiorum, qui Sacri semper habiti, & peruetusta & mysterijs referta, ut in Conuivijs suis præcipuis primo apponerent Caput quoddam mortui fabricatum è ligno, illudq; ad finem usq; epularum spectandum relinquerent, quo in illa voluptatum varietate, animorumq; effusione refrenarentur, mortisq; futuræ contemplatione monerentur, quæ sit eorum origo, status & conditio, quid tandem futuri aliquando, cinis utiq;, puluis, abjectio, foetor, putredo, horror, nihilum: Pari ratione facio hodie, Aud: ut prius vos ducam in domum luctus, quàm gaudij, prius vobis ostendam non solum caput, sed & totum corpus, non elaboratum metallis aut lignis, sed humana carne; & illud quidem corpus, Illmi. D. D. Christophori Popelij Baronis à Lobkowiz. Supremi Curia Regni Bohoemiæ præfecti &c. Cujus anima DEO uiuat, qui vobis omnibus vel sanguine, vel officio, vel amore & conuersatione familiari, vel beneficijs tandem conjunctus fuit dum viveret; qui ille idem, proh dolor, ecce, quàm modico tempore sublatus est ab oculis uiuentium



tium, quàm citò solutus est hic nodus Corporis & Animæ, quàm repente diuisa est societas, quàm breui momento esse desijt! atq; ea, qua ratione dixi, Corpus exanime, velo subtristi contactum intueamini, ut & vos priusquàm ad epulas, joca, risus, festiuitatesq; vestras accedatis, recordemini, status & conditionis unicæ tam præsentis quàm futuræ. Ad mortuos vos loquor, qui dum nasci incepistis, incepistis & mori. Et Regina Orientis, Occidentis, Septentrionis & Meridiei, hoc est Imperatrix & Dña. omniũ gentiũ & populorum, omnium sexuũ & ætatum, omnium potestatum & principatum, dominorum & seruorum, diuitum & pauperum, Mors nimirum, præcipit, ut loquar vobis, quicunq; estis è medio mortalium, sicut omnes estis ab origine, vos nihil esse tam ab initio, quàm in progressu & egressu: hodie floridi, cras aridi. Quippe multoties in die morimur. Prætereà Mors admonet vos, quod ad nihilum redigemini, quicunq; estis sapientes, uti Salomoni pulchri, uti Absolon; fortes, uti Samson; invicti, ut Alexander Magnus; & hoc, quòd moriemini sicut homines, & de administratione vitæ rationem exactissimam reddituri, à qua vel ad pænam vel ad beatitudinem sempiternam deducemini. Proptereà Mortales, non est aliud verè Christianorum studium, non alia Philosophia magis necessaria, quàm mortis meditatio assidua, cui, qui rectè inuigilauerit, hoc demum assequetur, ut seipsum noscat, rectæ rationi pareat, mundana despiciat, & animæ moderatione vitæ commodis fauendo, miserias ferendo, mortem non tam aspernari discat, quàm expetere. Ac quoniam in corpore animam manere, violentum est, ideò vitam vocabulo à vi ducto, sapientes initió vocauerunt: solutio autem & sua-



& suavior est & mitior, quæ animæ libertatem largitur, quam nos semper in rebus difficilibus cupimus, ut simus liberi; & hinc anima concupiscit reverti in patriam, & æternitate donari. Hoc studium indefessum, hæc continua inter labores & dolores, inter curas & gaudia, interq; omnia occupationum humanarum genera mentis erat exercitatio Illustriss. defuncti nostri D. Christophori ad gloriam & immortalitatem nati, ut tempus quod haberet vitæ ad usuram collocaret, ex quo in Cælis fructum reciperet. De cuius vita atq; obitu verba pauca facturum me, quæso auribus benignis audiatis.

Rerum uniuersarum conditorem DEUM, nemo unquã mente humana comprehendet aut intelliget, nisi opera ipsius, quæ valde bona sunt, penitus introspiciat, atq; illa magis admirabitur, quàm cognoscet. Circumspiciamus hanc mundi machinam pulchram, mirificam & spaciosam, cælos, terras, & maria, cum omni usu, fructu & ornatu suo, imò & viscera terræ, quantum possumus, collustremus, & inueniemus, quanta sit Opt. Max. bonitas, sapientia, potentia & Majestas; earum tamen rationem reddere minimè valemus. In hanc regionem amplissimam, simul etiam jucundissimam collocavit DEUS hominem ad imaginem suam creatum, omniumq; eorum, quæ sunt, viuunt, & mouentur fecit Dominum; non ut hæc sedes, & requies sua esset perpetua, sed ut dum his moderatè aliquanto tempore perfrueretur, DEUM coleret, amaret, timeret, uti mandata dedit; ad altiorem gloriæ thronum in Cælis positum conscenderet, perpetuoq; cum DEO regnaret. Non n. mundus iste, ne homo ita comparatus est, ut in hoc statu suo in æternum subsistere, aut mundus hominem, aut homo mun-



dum possidere queat; cū homo constet anima & corpore, anima DEUM & cælum respiciat, corpus verò terram, ex qua desumptum est. Ex quibus nonnihil hominis dignitas *Ps. 8.* refulget inexplicabilis, quam admiratur Propheta, regius Domine, quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quia reputas eum, minuisti eum paulominus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera *C. 10.* manuum tuarum &c. Et Job. Quid est homo, quia magnificas eum, aut quod apponis erga eum cor tuum? Quòd si benè advertitis, homo complectitur in se totum mundum, unde minor mundus appellatur. In capite hominis sunt duo oculi, veluti sol & luna; aures duæ, velut Mars & Mercurius; nares duæ, velut Saturnus & Juppiter; unum os, velut Venus. Illa Sydera mundum illuminant, hæc membra totum corpus hominis ordinant & decorant. Et sicut de cælo in terram rores descendunt, impressiones & calor naturalis, quibus mundus regitur; Sic in homine est caput, à quo vires omnes corporis defluunt. Itemq; Anaxagoras interrogatus, quid sit homo? *Arist. † Met.* Respondit: Mensura rerū omnium. Adde quòd DEUS in nulla inferiori creatura planè quiescat, nisi in homine sicut nec homo, nisi in DEO. Sed quo ravior? Vela contraham & quāti hominis existimationē fecerit, seseq; ad illā accōmodauerit paucis expediā. Natus fuit Illmus Vir loco excelso, patre Joanne & ipso Burggravio, si ejus principia inquirimus, qui à primis incunabilis pietatem Christianam suxit: tandem adultior fidei Christianæ mysteria apprehendit, indolisq; suæ bonitatem divitiasq; commonstravit, ut ad devotionem, bonasq; artes non duci sed rapi videretur. Didicerat à patre luminum, quæ se-

qui



corpore, qui deberet, inaudierat & jam tum, quod Solon Atheniensis  
am, ex interrogatus, quid est diues sine literis, responderit: Ouis aureo  
dignitas vellere, et Diogenes de diuite illiterato sedente super lapidem:  
regius quod esset lapis super lapidem: itemq; quò indocti à doctis di-  
homi- *Bern: l. med.* stent, quantum bestiae ab hominibus. Scientia n.  
ngelis, parit Cognitionem amoris, amor frequentiam, frequentia  
er ope- familiaritatem, familiaritas fiduciam, fiducia facilem Impera-  
o, quia torem, ut docet D. Bernhardus. Imò nullus animæ cibus est  
tuum? suauior, quàm perfecta cognitio veritatis. Ideò Salomon fœ-  
a mun- lices omnes, & beatos testatur, qui habent scientiam. Vbi non est  
is sunt scientia, non est bonum. Qua de causa Athenas in Germania  
curius; & Italia florentissimas, quæ Græcorum longé superant fide,  
Venus. doctrina, & Spiritu, frequentauit, ut summum apud se scientia-  
corpus rum thesaurum, apud viros insignes, nominis laudem sibi com-  
n rores pararet. Tunc n. teste Platone Resp. bene gubernatur, quando  
us re- vel Reges sunt sapientes, aut sapientes gubernant. Hunc usum  
orporis rationis pulcherrimum, hanc animi moderationem justam,  
omo? probitatem, fidem, virtutum gloriam, & quæ sunt alia sapien-  
d DE- tis munia in omnibus officijs suis ita contestatus est, ut illum  
eficut honores ultro citroq; non é contra ille eos expetere jure cen-  
am & serentur. Non sine gravi causa Maximilianus Cæsar sapientis.:  
lauerit cum filiam suam Annam seniore in Hispanias anno 1570.  
nne & mitteret, Comitum adjunxit Ill<sup>mum</sup>. Virum, qui & statim alte-  
is in- ra die post Reginae serenissimæ aduentum, serenissimorum Ar-  
r fidei chiducum RUDOLPHI & ERNESTI, Cubicularius per clavis  
m di- deauratæ exhibitionem, juramento præuio declaratus est.

Reuersus tandem cum iisdem principibus, anno 1579.  
meruit gratiam à DEO, atq; à Cæsare augustiss. in testimonium

qui

A 4

seruata





servatæ fidei integritatisq; suæ clementiam singularem, ut illi  
è Gynecæo Cæsareo, virgo nobilissima Maria ex illustri profa-  
pia de Molar, matrimonij foedere sanctissimo conjungeretur:  
quàm uti vitam suam dilexit, adeoq; mortis & vitæ sociam  
individuam optâisset, nisi DEUS, qui solus mortis, vitæq; im-  
perium habet, nono mense, data prole, matrem é medio su-  
stulisset. Excelsa animi magnitudo & constantia, quæ ca-  
sum tam acerbum, foedera tam cito disrupta, amorem in mæ-  
rorem versum, thalamum viduum, prolem sine genitrice, Ma-  
riam filiolum lachrymantem, & Mariam matrem extinctam  
non videre, sed sustinere potuit. Verùm enimverò quis sa-  
piens contrà DEUM? sicut Domino placuit, ita factum est.  
Demùm A. 1581 invocato divino numine, & benedictionem  
Apostolica Romæ à Greg.º 13. Pont. Max. coràm accepta, du-  
xit Ill<sup>rem</sup> virginem ex illustri Lobcouitiorum genere oriun-  
dam Elisabetham Ill<sup>ris</sup> D. Johannis à Lobcouiz Dni. in Totz-  
nik & novo Bistricio, Præsidis Appellationis &c. F. in quo fœ-  
lici matrimonio, quod 27 annum attigit, septem liberos ge-  
nuit, quorum quinque naturæ debitum exsoluerunt, duo flo-  
rent: Ex his primus es, Ill<sup>ris</sup> Dñe, Dñe, Johannes Christo-  
phore à Lobcouiz. Dñe. in Patek & Diwiz, apud serenissimum  
Archiducem Albertum cubicularij dignitate insignite, qui  
ut nomē & imaginē parētis vel patris refers, ita omniū bonorū  
de te est expectatio, quod pietate, gravitate, moderatione,  
virtutibusq; cæteris paternis, te verū parētis filium, (uti facis)  
ostendes, nomenq; tuum, genusq; cum laude & gloria  
propagabis. Vivit & Anna filia nobiliss. a qui nupsit Illmo  
D. D. Wilhelmo Comiti à Furstenberg, Heiligenberg & Wer-  
tenberg



tenberg, Lantgravio in Paar, Dno. in Hausen & Kinzgenthal,  
S. C. M<sup>ti</sup>s aulico Consiliario & Camerario, quod ipsum matri-  
monium prosperet & fortunet matrimonij sanctissimi author  
conseruatorq; DEUS. At nunc revertamur, unde digressi  
sumus. Non instituerat Illustris: noster tale vite genus, ut sibi  
soli natus esse videretur, aut non posset, quod infimæ condi-  
tionis est, aut non vellet, quod Charitati repugnat, se  
communicare omnibus, sed quod dicit Cicero, partem paren-  
tes, partem patria, partem amici vendicant. Rogo attendite,  
quam partem, qui parentes? Parentum summorum loco  
accipite Maximilianum Cæsarem, Serenissimos Archiduces,  
de quibus paulo ante diximus & Clementissimum Imperatorem  
nostrum Rudolphum, cujus Cubicularius fuit per integros tri-  
ginta novem annos, Consiliarius unus è sanctioribus aut se-  
cretioribus per quinque annos. Concurrunt parentes & patria  
in parte sua capeffenda, ut sciatis, quantum & patriæ huic incly-  
tæ præstiterit, quantum per hæc & amicis. Assessor Judicij  
Regni per viginti quinque annos constanter & fideliter perse-  
ueravit, deinde Præses Apellationis extitit per continuos un-  
decim annos, supremus item Camerarius per duos annos, &  
tandem supremus Curia Regni Præfectus usq; ad nonum  
annum, quo & labores & vitam finiuit, sexaginta annorum die-  
rumq; vigintiquatuor curis, officijs, occupationibusq; per-  
petuis pro DEO, pro superioribus, pro patria toleratis exantla-  
tisq;, cujus anima lætetur in foelicitate sempiterna. Hæc est  
experientia schola, molestiarum mola, campus patientia, glo-  
ria palæstra, bonarum operationum officina, meritorum insi-  
gnium emporium, triumphus fortitudinis. Confundantur

B

quorum



quorum studium luxus est, scientia ludus, gloria divitiæ, honores vestes superbæ & familia, officia otia, sensus census, populus pupellus, amor arma, Religio repotia, Ecclesia encænia, DEUS venter, cura gula, preces feces, ara hara, honestum onustum, ratio voluntas, prima ima: quiq; venantur & extorquent dignitates, quibus illi pares esse non possunt, sed sunt simulachra quædam ratione carentia. Extot tantisq; Ill<sup>mi</sup> viri dignitatibus, ingenium; judicium, auctoritatem, & quæ super omnia est, pietatem cum sapientia conjunctam perpendite: Quomodo enim sine his, tam arduis negotijs potuisset sufficere, non succumbere? qui per gradus legitime ad hanc, in qua mortuus est, muneris celsitudinem, non suapte sponte ut ambitiosorum fert conditio, sed consensu, & approbatione regia, omniumq; statuum & ordinum Regni ascendit, qui & meruisset Burggraviatus, aut Proregis thronum possidere, nisi onera illius cum senectâ sua ingrauescente prudenter comparans, maluisset esse, quod est, quàm deesse illi, quod esse debebat. Patriæ dico, quod potuit, præstitit, (& habes ô chara patria laborum suorum fructus, & monumenta) neue jam per illum ultimò incommodi quidpiam in necessitatibus tam arduis pateretur, molem tantam Burggraviatus, humeris Ill<sup>mi</sup> D. D. Adami de Sternberg Baronis Dni: in Bechin & viridi monte S. C. M<sup>ris</sup>. Consiliarij, auctoritate Regia iuvit imponere, cui Dominus DEUS det gratiam & benedictionem, & Spiritum sanctum suum. Illustrissimus autem noster, uti in vita semper, sic jam morti proximus, pertæsus miseriarum hujus mundi, quas inepti delicias reputant, mortisq; memor, quàm nemo potest effugere; Mors enim & vita à Dno. DEO data est,



est, ut docet, Salomon, & ut ille Sapiens ait. Quem contingit nasci  
mori necesse est. Memor præterea vitæ æternæ, ad quam, sicut  
cervus ad fontes aquarum anhelabat, quo & cogitationes & de-  
sideria sua collimabat, votis animi ardentissimis cordisq;  
lachrymis, quæ longè efficaciores sunt signis extrinsecis,  
quæ homines judicant, cum corda scrutetur Altissimus,  
Deum Patrem misericordiarum & totius consolationis, pro de-  
lictorum suorum remissione, per Iesu Christi filij sui Domini &  
Saluatoris nostri Passionis, Crucis & Mortis amarissimæ merita  
gloriosa implorabat, frequentissimè illud Iob. c. 10. secum animo  
reperens: Loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo: No-  
li me condemnare. Et quomodo Pater cœlestis non exaudi-  
ret filium prodigum reuertentem humiliter, qui proprio filio  
suo nõ pepercit, sed ad nos redimendum contradidit? quomo-  
do filius æternus non interponeret vulnera sua, crucem, & mor-  
tem, quam innocenter tulit pro peccatoribus, ut se Salvatorem  
nostrum exhiberet: qua fiducia cœlesti fretus & confessione sua  
constantissima, quam multo ante mortem scribi, & in Sacello,  
ubi sepultus quiescit in Domino, affigi fecit ad perpetuam me-  
moriæ, intimis animi præcordijs efflagitare veniam non desti-  
tit. Sunt autem ueræ pœnitentiæ signa tria, quorum primum est,  
cum dolore agnoscere, fateriq; culpam propriam; alterũ, iustum  
asserere, quod patitur; tertium, Christi passionem innocentem  
plorare, hæc paulo post, quando circa eius mortem versabimur,  
elucescent. Ad quæ necessariũ quoq; est, nihil eorũ, quæ in mun-  
do sunt expetere, quàm Christum solũ, eumq; crucifixum, quibus  
mors voluptas est, & mori lucrum: Qui enim nihil curat, quod in  
mũdo amatur, quid est cur lamentetur? Et qui seipsum annihilat,  
Deum autem iustificat & extollit, huic omnes dolores leues sũt,  
aut nulli. Ita enim secum cogitat: Si híc patior, finis erit Passio-  
nis, si multum patior, cito terminabitur, quia Deus non punit  
bis in idipsum: Omnia ipsius opera fiunt meritoria, ambulat in  
luce, ædificat in petra, fit robustus in passione, viuus in morte,  
maledictiones huius mundi fiunt illi in benedictiones, tribula-



biones, in conseruationes, despectus in honores, contemptus in exaltationes, passiones in lætificationes, priuationes rerum temporalium, in locupletationes. In veritate bonus Christianus tam diues est, ut illum nemo possit perdere: quia in amissione rerum temporalium, nihil ex bonitate ueræ Christianitatis amittit. Atq; ut uno verbo dicam, qui à Christo Iesu Magistro & Redemptore nostro mori non discit, in æternum non sciet rectè mori, quia ille est via salutis, veritas doctrinæ, & uita æterna. Prudentia insuper ea uera est, quod rerum exitus metitur, viri prudentes illi, qui finem respiciunt: in illo namq; tota vis, & salus. Quid prodest, si nauta soluit vento fœlici & in portu tandem cum mercibus submergitur? Quid contenditis, sub quo quisq; Planeta natus sit, quis cursus vitæ fuerit, cum Deus non curet de hominis natiuitate aut fortuna, sed quomodo quisq; moriatur, benè an malè, an arbor cadat ad Austrum vel Aquilonem, ibi momentum vnde æternitas. Finis malorum est agere: Bonorum autem egisse. Ita de Illustrissimo Domino nostro, quod de Abraham dicere possumus. Mortuus est in senectute bona, prouectæq; ætatis, & plenus dierum. Senectus bona commendat integritatem sensuum; peruectæ ætas, temporis longævitatem; & plenitudo dierum, virtutum operationem, quæ singula percensere, nec huius loci est, nec temporis. Iam annus Sexagesimus uertebatur, quo mors contra vitam pugnare cœpit, morbis, cruciatibus, curis, membrorum eneruatione, & his, quæ faciunt ad corporis interitum. Illustrissimus noster non naturæ, non medicorum, sed Dei adiutorium inuocauit, atq; toto corde se illi subiecit, cum vera contritione & pœnitentia, magnaq; humilitate, quando aduertit Sacerdotem sub Missæ sacrificio Eucharistiam sanctissimã ad se communicandum deferre, quantumlibet infirmus per omnia properauit obuiam, nolens duci, neq; accumbens expectare, atq; in genua supplex procidens cum S. Thoma clamauit: Dominus meus & Deus meus: Absit, ut venias ad me, ecce ego ad te venio; resectusq; & munitus donis Cœlestibus, in lectulum suum se composuit, in quo deinde & obdormiuit



uit in Domino. Quo tempore etiam S. S. Cæs. Maieſtas, è fami-  
liaribus ſuis præcipuum miſit, qui nomine Sa: Cæs: Maieſtatis  
infirmum noſtrum Illuſtriſſimum viſitaret & conſolaretur: quo  
uiſo & audito exultauit præ gaudio, cum S. Simeone deſiderans  
nunc dimitti, quia à Deo & à Cæsare Domino ſuo clementiſſi-  
mo eſſet uiſitatus, nihilq; ſuper eſſe amplius, quòd illum à diſcef-  
ſu ex hoc ſæculo poſſet ammodo detinere. Vigefimo quarto Die  
Maij, cœpit hoſtis vitæ humanæ coniuratus acrius impugnare,  
& hoc circa noctis crepuſculum, quo ægri magis languent, ille  
nullo modo conſternatus, ſed firmus fide, quam à iuventute im-  
bibit, totaq; vita amplexatus eſt, accerſito Patre Capucino, Do-  
minum Deum iterum atq; iterum precatus eſt his verbis: O Do-  
mine Ieſu Chriſte fili DEI viui, propter illam amaritudinem  
quam pro me miſerrimo peccatore ſuſtinuiſti in Cruce, maximè  
verò in illa hora, quando nobiliſſima anima egreſſa eſt de ſan-  
ctiſſimo Corpore tuo, deprecor te, miſerere animæ meæ, quan-  
do egreſſura eſt de corpore meo, & dic illi: Amen Amen dico ti-  
bi: Hodie mecum eris in Paradyſo. Amen. Quis illum Diabolo-  
rum conflictum atrociffimum cum anima enumeret, quando  
omnes vires adhibet, omnes ſtruit infidias, omnes euadendi vias  
præcludit, animãq; ad deditiõnẽ ſollicitat? certè nec Naturæ hu-  
manæ eſt eloqui, minus ſuſtinere. Nec ita facile eſt mori, uti de  
morte diſſerere, Nã mori eſt Parētes, vxores, liberos, fratres, ſoro-  
res, amicos, ſocios, opes, delicias, omnia & ſingula, quæ in mun-  
do grata, iucūda, utilia aut familiaria fuerūt, & tandē ſeipſum re-  
linquere: Mori eſt corpus humanum, quo vita conſeruatur exu-  
ere, & animum in aliud ſæculum ignotū dimittere. Mori eſt om-  
ni ſpe humana deſtitui & ad iudicium iuſti Iudicis compelli, vn-  
de nemini reſſus conceditur, quin magis cogatur ſententi-  
am in iudicio latam executioni perpetuæ demandare. Nolite  
ergo vobis blandiri mortales, quaſi ſtatim, quomodocunq; hîc  
vixeritis, ex hoc ſæculo ad congregationem iuſtorum euolabit  
anima, ne fides & ſpes noſtra, tum demum ſit vana & irrita, cum  
pœnas quas non expectabatis, ſubibitis. Quomodo autem Il-

B iij luſtriſſimus



Illustrissimus noster in hac pugna ardua se gessit? Fortiter, viriliter, foeliciter. Non timuit mortem, nec hostem calumniatorem diabolum, nec omnes tentationes suas. Elusit, elisit, vicit, triumphavit. Quibus armis? quibus Christus in cruce, vexillo crucis, meritis passionis Christi, Crucis signo, quod habebat in manu sua, quo & Pater suus moribundus, in agone contra Tyrannum totoq; corde, tota anima, totisq; viribus decertavit, illud S Bernardi ingeminans: O bone Iesu, in hora mortis esto mihi Iesus: nec aliud verbum in ore habuit, nec alium gladium contra hostes vibravit: quam quod nomen Iesus sanctissimum (in quo omnis salus) non semel aut decies, sed centies & amplius, quo usq; in illo vigebat spiritus, detonavit clamore valido, quia ex corde uirtute inuicta nominis Iesu fusi sunt, profligati sunt, & exterminati sunt daemones, longeq; fortius, quam Iudaei milites ad vocem Christi Ego sum, cecidere. Petijt & preces pro se in Missa mortuorū fieri, & cum iam totus deficeret, & Pater in aures loqueretur illud: In manus tuas Domine commendo Spiritum meum, plenariāq; Indulgentiam conferret, hoc totum, ratum, firmumq; se habere inclinatione capitis attestatus est. Et sic intra mediam primam & secundam horam mediæ noctis ex hac vita in aliam, uti speramus & optamus beatiorē Deo duce, Christoq; sponso ad nuptias illas cœlestes commigravit, ut verè dici possit quod Sapiens scribit: In obitu suo non est contristatus, nec confusus est corā inimicis: quodq; Propheta regius prædixit. Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta. quæ est mortis, Exinde, quod in Symbolo quotidiano usurpauit, completum fuit. Auxilium meum à Domino, Et nunc, quid illi foelicis & merito iure potuit accidere, quam quod in tanto Illustrissimorum Procerū ordinumq; huius inclyti regni conuentu, vos qui ante socij, aut participes fuistis laborum & factorum suorum, sitis nunc virtutum suarum testes, comites funeris, vltimum pietatis Christianæ officium piè defuncto meritissimoq; Heroi impendatis: de cœtero penes vos cura & sollicitudo esto de successore optimo, adeoq;



adeoq; de statu patriæ optatissimæ, qui ut sit foelicissimus vobis  
authoribus, præsidibus & Senatoribus in vestram vestrorumq;  
omnium & totius Regni tam ornamentum, quam incrementum  
sempiternum, nemo est qui non ex animo desideret, speret atq;  
deprecetur. Fiat, Fiat & omnis populus dicat Amen.

Quare Audit: vobis illud amore Christiano consulo, quod Sa-  
piens, Memor esto, quoniã mors non tardat. Dum enim incauti  
minimè speramus, nos obruit & iugulat. Quemadmodũ enim il-  
li, qui vident se tardè ciuitatem, ad quam tendunt ingressuros,  
ne porta claudatur, aut hospitium comòdum desit, iter accele-  
rant: ita sumus nos in hora nouissima, tendimus ad coelestem  
Ciuitatem, ubi pax & gaudium. Porta, per quam intrant pecca-  
tores, est diuina misericordia, quæ per pœnitentiam aperitur  
peccatori, clauditur in nocte mortis per iustitiã: ideo hora mor-  
tis nalde est dubia. Præterea ante faciẽ eius Diaboli ibit mors, te-  
stante scriptura, egredietur diabolus ante pedes eius. Mors nam-  
què præcedit sicut scutifer, diabolus insequitur, vt rapiat ani-  
mam, miser peccator iacet dormitãs oculis clausis, nec fugit ad  
pœnitentiam, nec ad arma spiritualia, qualia sunt Sacramenta  
sanctissima, Eleemosinæ, Orationes, & suffragia, vt euadat Tyran-  
ni manus, aut contra eum perualeat, ita miser capitur, occiditur,  
damnatur. Qua de causa rogat David: Illumina oculos meos,  
ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimic9 me-  
us: Prævalui aduersus eum. Omne igitur desiderium vestrum  
omnis conatus vester sit ad Hierusalem coelestem illam civita-  
tem, ad foelicitatem & gaudium sempiternum apprehen-  
dendum, quod non fit, nisi exilium hoc in mundo finiatur,  
nisi disrumpantur vincula peccatorum & sollicitudines mun-  
danæ, & anima sicut passer eripiatur de laqueo venantium, nisi  
consilia & machinationes dæmonum superentur: tunc ad hære-  
ditatem nostram propriam perveniemus & ad familiam pristi-  
nam, quia annus Iubilæus erit. Hic enim est seruitus, ibi libertas,  
hic omnis malitia, ibi omni modo securitas, hic dolor, labor &  
lachrymæ, ibi omne gaudium, hic omnis boni carentia, ibi abũ-  
dantia



dantia. Non esurient neque sicient, & non percutiet eos æstus &  
Sol, quia miserator eorum reget eos: hinc morbi, senectus & mors  
ibi sanitas & vita perpetua: hinc inter scorpiones & malignantes,  
nostrum est comertium, ibi inter omnes sanctos & electos: hinc si-  
tit anima nostra ad Deum, ibi videbimus eum à facie ad faciem,  
& salva erit anima nostra. Conemini, conemini inquam, intro-  
ire portas eius in confessione atria eius, in hymnis confiteri illi, ve-  
possitis dicere: Concupiuit anima mea desiderare in atria Do-  
mini. Timenti enim Deum bene erit in extremis, & in die defun-  
ctionis suæ benedicetur, Cor autem durum malè habebit in no-  
nissimis, Dixi.

*Laus Deo trino & uno, itemq; gloriosa virgini matri Maria,  
& omnibus Sanctis.*

*FINIS.*



*Handwritten mark or signature in the bottom left corner.*

*Handwritten mark or signature in the bottom right corner.*














K. 086



IN O  
SIMI Dn.  
PELLI BA  
Curia Regni B  
vvis, olim S. C  
filiarij intim  
ni

ILLVSTI  
CHRISTOP  
viz, Domino  
berti Cu

REVERENI  
Pontano à Bra  
mucensis  
Apostol



**Kodak**  
LICENSED PRODUCT  
Black

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



RIS-  
I PO-  
PREMI  
ek & Di-  
arij, Con-  
pellatio

D ANNI  
A LOBCO-  
iducis Al  
imi

H OLDO  
fito, Olos  
tario

B LIOTHEKA  
NICKAVIANA

